

Remigio alarum vehitur ſuper Aſtra Sophia:

Secundum dicinum Sophos Auctor erit?

ANIMADVERSIONES HVMANISSIMÆ

A Duobus Doctiſſimis Viris
ſuper Philoſophiam
ſecundum dici

AD SERAPHINVM PASOLINVM

Auctorem tranſmiſsæ
Cum eiuſdem Auctoris reſponſionibus

Illuſtriſſimo Domino

FRANCISCO MONALDINO

I. V. D. Nob. Rauennaten. ac
Metropol. Eccl. Canonico

DICATÆ
AB EODEM SERAPHINO
PASOLINO RAVENNAT.

Bononiæ, typis Ioſephi Longi. 1676.
Superiorum permiſſu.

Illuſtriſsimo Domino

FRANCISCO MONALDINO.

Seraphinus Paſolinus Sal.

INops, & inculta mea ſecundum dici Philoſophia biennio Mundũ animoſè peragrauit nemini obnoxia, cunctis obſequioſa. Diuturnę peregrinationis nec pudens, nec pœnitens, hilari fronte, lætitiæ propior, quàm mœrori, patrios tandem reſalutauit Lares. Perlongi, vagiq. itineris varios caſus, & diſcrimina expreſſit, ac deſcripſit,

ſubridenſq; ait: per foros, & plateas libera circuiui, vtque verum fatear; innumeram cõſpexi turbam, nec ab vllo me viſam, nedum conſpectam crediderim. Adoleſcentibus nobilitate præclaris occurri, & (quod vix credendum cenſeo) nec me ſalutauere: Quid aio? nec oculos in me verterunt quarundam turpium mulierum, ac ſordidorũ ſcurrarum inhoneſtis iaculationibus defixos. Mirabar equidẽ, ſed conſuetudine ſtuporem amiſi. Doctrinæ Sectatoribus, & quidem ętate grauibus propius acceſſi, & ex his quoque pauciſſimos reperi, quos

in colloquio detinere potuerim; aiebant enim, ſe cum Bartolo quodam, cum Iaſone, cum Caſtrenſi inextricabiles habere controuerſias, quibus ne ſuccumberẽt inter immenſas voluminum moles ſepulti magis, quàm ſtipati morabantur, vel moriebantur. Hæc hiſce oculis vidi, & compatiens ſum commiſerata. Plura dicerem de negocioſis viris, quorum pars maxima, qui omnem in cenſu felicitatẽ collocantes, nec verbum, niſi de lucris, immo nec cogitatio, niſi de diuitiarum incremento. Ex his aliqui anxiè exquiſierunt nunquid metalli-

cas metamorphoſes noſcerẽ, ſerendiuè tempeſtates, aut aliquod multiplicandę ſegetis ſecretum, hoſpitium benignè, contuberniumque amicabile pollicentes. Ne longior ſim, plura reticebo. Ad lætiora deueniam, quæ meminiſſe ſummopere delectat. Sapientiæ, ac benignitatis fama aduocãte, ac præeunte confidens, limina adij doctiſſimorum Virorum, quorum mihi ſempiterna memoria, honoſque remanebit. Pauci fuere, ſed numeri damnum excellentia cõpenſat. Quanta me comitate exceperint, quanta humanitate tractarint nec dico; nec,

ſi

ſi dicere vellem, valerem. Id videant omnes ex pretioſis muneribus, quibus me donatam dimiſerunt, elegantiſſimas nempe Animaduerſiones, quibus meam nuditatem ornare dignati ſunt. Hæc mea Philoſophia (Illuſtriſſime Domine) Hancq. hiſce ditatam honoribus, indutamq. ornamentis, tuo non indignam patrocinio, tuæ dicare benignitati decreui. Tu antiquiſsimæ Familię nobiliſsimum germẽ, virtutis amantiſſimus Protector, in lucem prodijſſe videris, vt illuſtres, foueas, nutrias, quos virtus ad ſe trahit. Tuo ſemper reſonãt in ore ingenua

de quibuſcunq;quos probitate, doctrina, vel quacunque noueris præclaros virtute, encomia. Hiſce artibus animi tui celſitudinem reddis admirandam, cunctiſq. ſtimulos ad laudabiliter operandum admoues. Tuam Domum Sapientiæ ſedem deſtinaſti, nulli honeſto non patentem; Nec modò non claudis ingreſſum, ſed benigna ſollicitudine inuitas, anxia humanitate pertimeſcentes intrare compellis. Nec mirum, ſuauiſſimâ ęquè, ac pręclaram indolem à nobiliſſimis Parentibus accepiſti. A puero inter liberalium artium diſciplinas enutritus, cũ

Pri-

Primoribus tum nobilitate, tum ingenio coalumnis tuis pro conſequendo in virtutibus primatu decertaſti. Viget adhuc memoria tuarum iuuenilium exercitationum, quibus doctiſſimos viros publice adſtantes in admirationem traxiſti. Vt latiorem virtutis poſſeſſionẽ cõſequereris, Patriam tenera adhuc ætate deſeruiſti. In Firmana ſapientia, ſapientiſſimos Philoſophos, ac Iuriſconſultos aſſidue colens, diù commoratus, omnes ad tui amorem coegiſti, illorum amantiſſimus. Doctoralibus decoratum inſignibus Patria te reducem amplexa

diù retinere non valuit. Sapientiæ tuæ immaturam ætatem præuenienti aliorum regimen conſignandum viſum eſt. Non te Gubernatorem, ſed Patrem præbuiſti: hinc cum lætitia ſemper exceptus, vbique ſubditorum corda deuinxiſti. Tuæ virtutis decor tuam decebat Patriam. Hæc exteros ſibi cedere, teq. concedere voluit. Inter huiuſce Metropolitanæ Canonicos ſumma exultatione exceptus, maiora quotidie profers tuæ virtutis argumenta; Eccleſiæ cultum totis promoues viribus, ardes zelo diuini honoris; Vndè meritò Eccleſiaſticorũ

exem-

exemplar, nobiliſſimę familię decus, Patriæ ſplendor, Amicorum deliciæ, cunctorum Protector, refugium, ſolamen nuncupandus, prædicanduſque videris. Inter communes plauſus, quibus vno ore excelſum naturæ tuæ celebratur genium, commendatur ſuauitas, extollitur præſtantia, hoc qualecunque meę deuotionis argumentum, tibi diù debitum, excipe. Doctiſſimorum virorum munuſcula, quibus mea tenuis ſecundum dici Philoſophia refulget nobiliſſimo tuo nomine decet illuſtrare. Illorum humaniſſimę beneficen-

tiæ

tiæ meis reſponſis correſpondere impotens ſum. Non imprudenter egero, ſi illam Vniuerſo exponens grati animi mei argumentum tuo coruſcum patrocinio exhibeam. Vale.



Ad-

Admodum Reuerende Pater, & Domine S.

HEri occidente Sole mihi datæ fuerunt literæ P. V. Admodum R. Æſtuabam, cum humaniſſimos legerem Tui Caracteres, quia haud ſum tantis honoribus dignus. Inſueto fauore percenſui, Cęlum veſperaſcente die gemina probitatis, & ſapientiæ tuę face tenebras mentis non minus, atque cubiculi mei opportunè fugaſſe. Nocte eadem attento animo voluptuosè oculi libellum Paternitatis veſtræ pereruditum vorauerunt. Placuit Doctrina. Laudaui ingenioſam Methodum ſcepticè philoſophandi. Nouam Sectam Pyronicam inſtituis. Dubitas de omnibus ſoluendo, illi arguendo. Probè inceptũ. Ab vngue Leonem agnoſco. Ex

hoc

hoc paruō tuo operē magnum orbi literario auſpicor ędificiū. Animus tuus Enceclopedia. Pauca mihi tranſmiſſa folia Peripateticum, Atomiſtam, Chimicum, Aſtronomum, Metaphyſicum, Hiſtoricum, Magneticum, Experimentalem eruditiſſimum vnà ſimul patefecerunt. Tibi gratulor, dum humiliter refero gratias. Verùm ad rem accedamus.

Vt petitionibus P.V. pro viribus aliqualiter ſatisfaciam (aptius dicam) vtque iuſſionibus tuis obediam, aliqua currenti calamo ſcribo; Breuibus me expediam. Parcas libertati, tenuitatem Ingenij excuſa. Hoc tempore Philoſophorum iſtæ Lucubrationes mihi valdè remotæ: Nimium Aula diſtrahit; Sereniſſimi Principis Domini mei ſtudium. vtiliora moralis, & Politicorum

popo-

popoſcit Axiomata. Igitur, quantum ad ea, quę P.V. hoc in libello iam Thypis commiſit, aliqua minus placent; Exero ordinatim.

Titulum in primis haud approbo. Cur vocas Philoſophiā vtramque *ſecundum dici?* Nulla ſanè verboſa tantum, immò verè probabilis. Cum adſunt hinc inde motiua, rationes, argumenta; Opiniones ſunt, non *purum dici.* Intendis fortaſsè, nullam phiſicorum ſectam eſſe ſcientiam? Abeſſe ab vtraque ipſorum principiorum Certitudinem, Euidētiam? Gratis, & libenter do manus. Dicere ſoleo, quod eſt mihi tanquam Paræmia. *Omnis Phyſicorum Secta diuinam tantummodò patefacit Omnipotentiam.* Explicat quo modo potuit à Deo Mundus fieri ſine vlla contradictionis obiectio-

iectione. Formaliſtæ, Realiſtæ, Modaliſtę, Complexiſtę, Atomiſtæ, Peripatus, Magnetici, cæterique omnes, poſſibilia probabiliter docent. Verùm quodnam eſſe actu in ſe habeat Mundus nullo adhuc lucubrationis Spicillo certè dignoſcitur. Memineris tamen, & ex ipſa matheſi certiſſimè inferas, veram ſcientiam optimè ſaluari, ſi principia intra ſolum Intellectum, licet nō extrà, ſint certa. Non itaquè Phiſicorum Sectæ ſolùm *ſecundum dici*.

Inſuper cur Atomiſtas, Antiparipateticos inſcribis? Ego merè Peripateticos probabo, ſi non apodicticè, ſaltem probabiliter. Fuerunt quidem Atomorū Sectatores ante Stagiritam; at eorum ſententiæ, meo videri, ipſius Ariſtotelis calamo ſubſcribuntur,

tur,

tur, Ingenioq; roborantur. Opus Deo dante vulgabo inſcriptum. *Democritus in Lyceo, ſeu Ariſtoteles Catholicus Atomiſta. Concordia Democriti, & Ariſtotelis, Chimicorum, & Peripatus* ex ipſis Sanctis Patribus ſtabilita. Videbis Phyſicorum Sectas imperfectè loqui de Mundo; ſolus Ariſtoteles exactè Atomos ſuppoſuit,& docuit. Verum duplicis generis, videlicet componentes entitatem, & componentes quantitatem. Accepit ex Democrito, & ingenuè 4. metaph. inſinuat. Materia, & forma Atomi ſunt, ſed eſſentiam componentes phyſicam. Atomi tuæ, & recentiorum Atomiſtarū extenſionem ſolūmodo per iuxta poſitionem explicant. Memineris omnes Atomiſtas ſolum agere *de toto, de Continuo*. Democritus, & Ariſtoteles vltrà continu-

um,

um, Eſſentias phyſicas dant ex Atomis materiæ, & formæ. Hæc mihi firma ex ordinarijs Catholici Peripatus doctrinis. Qui dant materiam, & formam ſemiſubſtantias, & negant eſſentiam ex Atomis, nomen, & rationem Atomi minimè ſciunt; ſi coherenter doceant, negant id quod apertè concedunt. Atomus non ſignificat entitatem materialem, vt cenſet P. V. ſed indiuiſibilem, vt notauit eximiè meus D. Iſidorus Hyſpalenſis de Ethymologia &c. Dicit D. Dionyſius Areopagita de Diuinis Nominibus. *Trinitas* Sanctiſſima *eſt Atomus*. Dicunt omnes Peripatetici ſpeciem vltimam Atomam. Cur? quia materialis? minimè. Verum quia indiuiſibilis in alias inferiores ſpecies. Igitur Atomus (etiam Ariſtotelicis) eſt quid indiuiſibile,

le, & ea ratione, qua aliquid eſt primum, aut vltimum indiuiſibile, ſemper Atomus, ſiue ſit materialis, ſiuè ſpiritualis entitas. Modò neges cum Peripatu proceſſum in phyſicis, tã aſcẽdendo, quã deſcendẽdo in infinitum; Doceas materiã, & formã ſemiſubſtantias eſſe prima principia, quę non valẽt in alia partiri, & diuidi: Erit Peripatus Atomiſta, erunt materia, & forma Atomi. Dubitas nõ dari materiã, & formam informantem, inſuper materiam coaleſcere ex Corpuſculis Atomis. De materia, & forma ſtatim dicam; vtramque poſuit tam Democritus Atomiſta, quam Stagirita. Interim agnoſce, ſi dantur, Atomos eſſe; Tuam ex corpuſculis compoſitionem, extenſionem, non eſſentiam conſtruere. Iuxtà ponuntur, non intus. Quantitas

eſt, non eſſentia phyſica.

Accipias certitudinem huius Doctrinæ ex homine, & ex ijs, quæ ſupponis fide Diuina certiſſima. *Quæcunque ſcripta ſunt ad noſtram Doctrinam ſcripta ſunt*. In homine das Corpus, & Animam informantem; & corpus ex Atomis corpuſculis componis. Quid vtraque hæc compoſitio? An eiuſdem rationis? haud plenè. Corpus, & Anima principia phyſica eſſentiæ humanæ, in ſua ratione prima, & indiuiſibilia; atque adeò Atoma. Corpuſcula illa minima, ex quibus coaleſcit Corpus, (etiam nota veris Ariſtotelicis, negantibus à parte rei proceſſum in Infinitum, & ipſum ſolùm mathematicè admittentibus in Intellectu cum Ariſtot. 3. phyſ. tex. vlt.) quid agunt in homine? nunquid eſsentiam conſti-

ſtituunt? minimè. Quantitatem complent corporis. Vtrumque diſtinguas, & erit apertum quod dico. *Diſtinctio ſcientiarum mater.* Obſerua vltimas ſpecies à Peripatu cenſeri Atomas, & tamen ſunt diuiſibiles, tam internè in partes eſſentiales, quam externè in plura indiuidua. Digneris hęc firmè memoria retinere; Fortaſſis enim ex hac hominis doctrina certiſſima in cæteris eſſentijs phyſicis inuenies poſtea mecum diſtinctam materiam, & formam, quas adeo trepidas admittere. Inſuper dari Accidentia. Progrediamur.

Quædam alia offendunt in libello. I. Influxum materialem in formas, quem dicis Peripateticos neſcire, inuenies optimè à Doctoribus explicatum. Si benè recordor, quæras apud P. Suarez

in

In metaph. Domus à natura, & Arte ſine pauimento minimè cō-ſtruitur; à Deo vtique. Sic eductio,& Creatio. Actio non exit à natura, niſi Receptaculum Platonis, vel Ariſtotelis materia eam recipiat. A Deo exit actio ſtans per ſe. II. reſpuis cōmune Axioma *Ex nihilo nihil fit*, quia confundis *eſſe ex alio*, & *eſſe ab alio*. Hoc propriū efficientis, illud materiæ. III. ad inueniendam materiam primā fugis adeo in Peripatu decantatum Argumentum non dari proceſſum in infinitum, quod demirabar. IV. admittis iteratis vicibus experimentum eſſe verum, vaſe ex Helere facto diuidi aquā à vino. Falſum tamen pluries eſſe expertus inueni; Exit enim per poros totus ſimul liquor omninò. V. Cēſes liquefacere eſſe reddere diſtantiores partes inter ſe.
Non

Non approbo. Quid erit rarefacere? an etiam illa Corpora, quę non liqueſiunt, non valent partes diſtantiores inter ſe pati? Hęc obiter ſint à me tacta. Argumentum ſint ſinceri Animi mei tibi fideliter deſeruientis.

Cæterùm, quæ dubitas circà definitionem, placent. Lepidè etiam dubitabat Carteſius circa definitionē hominis. Aliquid certum accipit: Homo eſt res cogitās, vt certò inde philoſophare tur. Verùm diſtinguerem. Quæ ſimplicia, per cōnotata explicantur, deſcribunturque; quæ compoſita, bene definiuntur: Vt plurimum tamen incompletè. Hoc permitto. Hac de cauſa quęſtionē mihi particularem inſtituo; *An ſit melius tradere phyſicam permixtam cum Chymica*. Affirmatiuæ parti adhæreo, vt inde rerum natura-

lium, quæ definiuntur, fiat accurata, & exactior Anatome.

Quantùm ad Accidentia. An exiſtant realia, & vera in Mundo? Memineris Concilium Conſtantienſe (ni fallor) ſeſſ:8. damnaſſe eam propoſitionem Io: Vuicleff tãquam hęreticam. *Accidentia non manent ſine ſubiecto in Sacramento Altaris*. Contradictoria huius igitur vera, & certiſſima. Qua igitur lege P. V. eſt ex Diuina fide infallibile, Rationalem hominis animam informantem eſſe actum; ità dari fatearis accidentia. Sanè quid erunt in homine, in Brutis, in Angelis actus Vitales immanentes? An ſubſtantiæ? An Corpora? non capio. Dari eſt mihi certiſſimum tales actus; ab Anima naſci, indubitatum: Quid igitur erunt, niſi Accidentia? Lumen mihi præ

cæte-

cæteris maximè eſt Accidens; non tamen ſubiecti, ſed Agentis. Speculatio mea noua typis vulganda, fortaſſe non iniucunda. Si lumen Corpus? Si ſubſtantia? Cur ne tantillum permanet ſine ſuo Agente? dum tamen certiſſimè propono tibi Accidentium exiſtentiam, non inficior quod tangis cum Atomiſtis pluribus, *calorem eſſe Corpus*. Idem meo Videri placuit Ariſtotelicis illis, qui primas qualitates contrarias docuere ſubſtantias eſſe Elementorum. Non inuenio talem ſententiam ab Eccleſia damnatam. Fateamur igitur, dari Accidentia Hoſtiæ; de Calore liberè philoſophemur. Suſpicor tamen Atomiſtas, ſemper de qualitatibus loqui in concreto; inſuper confũdere ſaltem ęquiuocè Corpus, & corporeum. Hinc Calor ipſis

Corpus. Verùm hæc meam reſpiciunt Concordiam.

Sed iam tandem ſeriò ponamus ſecurem ad radices. Principia ratione validiori inquiro. Quæris à me P. R. verè Philoſophus; amator veritatis; deturne Materia,& Forma Peripateticorum? Argumenta à Doctoribus propoſita non vincunt, quia non cõuincunt. *Tibi credam.* Aſſeris. Magnus fauor; magnum negotium. Nunquid ego Apollo? Nũquid Angelus? aut Apoſtolus raptus ad Arcana Dei? Vix agnoui ſuperficialia rerum, ſenſibus haud abſcondita, & remotiſſima explicabo? Ego Philoſophorum minimus, qui non ſum dignus vocari Philoſophus, Doctori tã eximio quęram ſatisfacere? Hęreo,& quaſi ſilentium indico mẽti, calamoque. Adſit Deus ſummè

mè verax, ſummè ſapiens. Pingui Minerua dico P.V. quod ſentio, & libentiùs abſconderem. Affirmo in omni eſſentia phyſica, dari ſemiſubſtantias primas componentes Materiam, & Formam. Addo (quod accipies tanquam Paradoxum) fortaſſis, neque de poſſibili conſiſtere poſſe extrà Deum Corpora phyſica ex internis hiſce cauſis, & principijs minimè compoſita. Deum, & fidem id tantiſper docuiſſe ex homine colligo, & exequar fideliter, quod ſuprà, P. V. promiſi. Diſcurramus: Ratiocinemur.

Conſidero creaturas, & eſſentias ſubſtantiales corporum à toto ſuo genere, ab intrinſeco imperfectiores eſſe Angelis, & ſubſtantijs ſpiritualibus. Id mihi P. V. idem quilibet Philoſophus rectè diſpoſitus facilè concedet.

Examinemus, hoc ſuppoſito, in quo ſiſtat hęc maior, & minor Creaturarum perfectio. Sanè rerum perfectio maior, & minor, vel formaliter, vel radicaliter ſtant in maiori, vel minori dependentia à Cauſis. Facta inductione numero vniuerſa. Deus infinitè perfectus, omninò eſt independens, quia nec ab intrinſeco, nec ab extrinſeco vllam habet dependentiam. Angeli ideò imperfectiores pēdent ab externis cauſis, efficiente, & fine; ab internis minimè. Igitur in poſſibili Mundi ſyſtemate, corpora Angelis ignobiliora, eiſdem maiorem tenentur habere dependentiam; atque adeo, nedum à cauſis externis, efficiente, & fine; verùm, & ab internis materia, & forma debent (non metaphyſicè tantum) à parte rei pendere. Habent

bent igitur omnes Eſſentię phyſicę Corporum materiam, & formam, partiales ſemiſubſtantias, & internas Cauſas. Hoc concludo tum de Cælo, tum de cæteris. Dicas mihi. Quid intendit Deus patefaciens Eccleſiæ hominem compoſitum à parte rei ex materia, & forma; ex corpore, & Anima informante? Hìc fateor, & repetam: *quæcunque ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.* Meo videri, docẽs Deus Philoſophos omnes ex Cathedra ſuæ infinitæ Sapientiæ, ità loquitur. Obſerua hominem. Fateris ipſum inter omnia phyſica Corpora eſſe nobilius ens phyſicum: Inuenis tamen eundem ab Angelis differre in hoc, vt præter dependentiam ab extrinſecis Cauſis, etiam intrinſecè pendeat à materia, & forma, componentibus. Quid

trepidas id aſſerere? Quid moraris idē de quolibet alio corpore phyſico ignobiliori homine concludere? Actus vitales, qui ablata Anima hominis ceſſant in cadaueribus, arguunt ſufficienter itidem in Brutis, & plantis animam diſtinctam; in ipſis enim idem obſeruas. Ratio tandem generica corporis imperfectioris, & magis ex conſequenti dependentis, participata ęquè ab homine, ac à cæteris phyſicis Corporibus, Argumento ſat firmo, compoſitionem in omnibus internam ex materia, & forma concludunt, pluſquam probabiliter; pluſquam ſecundum dici conuincunt.

Aliquorum inſtantiam præuenio, & eludebam. Dicent fortaſsè, multas materiæ partes integrantes ſufficiens in Corporeo

gene-

genere ſtatuere diſcrimen. At cur non ſufficiunt in homine cæteris nobiliori? Non capiam. Homo ſolus quot externas, tot genere diſtinctas habebit intrinſecas Cauſas? In phyſicis humana tantummodo eſſentia, vltra plures materiæ partes, intrinſecam exiget formam informantem? Maior itaquè dependentia; minor prorſus nobilitas. Bene videant. Materia materiæ addita auget ſolum materiam; haud eſſe formale conſtituit phyſicum; minimè naturam, proprietatum radicem corpoream quit determinare. Igitur in omni genere phyſico, omne Corpus parem cum homine numeret à cauſis pendentiam. In eo ſtet maior nobilitas, vt à nobiliori forma. Sit humana eſſentia perfectior omnibus aperta fax, Argumen-

tum veritatis.

Reſcindo Paternitati Veſtræ tædium, & claudo diſcurſum nimis inſipidum. Ex eadem dependentiæ maioris, & minoris Regula, plura, quæ poſtulas, eximijs (ſi bene concipio) ſolues corolarijs. Inuenies diſcrimen formæ ſubſtantialis materialis, & accidentium. Ambo inhærent; tamen ſubſtantialis forma nobilior; inſuper valens perficere internè eſſentiam. Cur? quia prima forma eſt, atque vltrà extrinſecas cauſas, à ſola materia habet dependentiam; accidentia verò ſemper ſecundæ formæ ex intrinſeco, ſemperque ità inhærent, vt pendeant tam à materia, quam à forma. Vlterius infero, probè dixiſſe Ariſtotelem, accidentia non eſſe abſolutè entia, ſed *entis entia*. Ratiò in promptù,

ptù; quia non habent vllo modo intrinſecè rationem primi, & abſoluti, dum nō ſunt propriè cauſa, neque cauſas in ſe inuoluunt. Tandem in Creaturis omnibus admittenda eſſe neceſſariò accidentia realia concludam, quia ratione eſſentialis dependentiæ omnis Creatura, tamquam imperfecta ſibi eſt inſufficiens, & ideò ab externis Accidentibus petit modò ſibi connaturali formaliter perfici, & compleri. Hæc mihi dixiſſe ſufficiant. Imminet Tabellarij diſceſſus. Quæ ineptè curſim ſcribo, non poſſum reſcribere, nec corrigere. Deus ſit teſtis, quia veritatem loquor. Charitas Paternitatis Veſtræ errores excuſet, deleat. Vale, & Deo me commenda. Tibi Neſtoreos ad precor annos; & Reuerendiſſimum P. D. Aſcanium

Mullam Prçſulem opti mum re-
uereor.

Mutinæ 27. Octobris 1674.

P. V. A. R.

Humilis, & Addictiſſimus Seruus
D. Vitalis Terra Rubea
Indignus Caſſinenſis Prior.

Admodum Reuerende Pater, & Domine. S.

TVis cariſſimis, ac præclariſſimis folijs iucundiſſimum inter ſapientiam tuam, & humanitatem de primatu certamen, non terrenis, ſed cæleſtibus expreſſum coloribus ſummæ benignitati tuę ad me tranſmittere placuit. Vtramque admirans, vtramque victricem compello, meque in tropheum dico, tantæ victorię participem futurum ſperans, ſi in tuis triumphis meorum obſequiorum comitatum, immo famulatum non aſperneris. Hoc fidenti animo meæ indulgens cupiditati à tua humaniſſima ſapiētia erudiri, humillimis præhabitis gratijs, venerabundus redeo, beatam Terram ſapientiæ lacte, & humanitatis melle manantem

ex-

exoſculaturus;cuius vtinã quamprimùm eruditiſſima prodeant in lucem germina, quibus certè redundabit ſuauiſſimorum fructuum copia, ſi exiguo in folio tam grandem affluentiam mihi deguſtare conceſſum eſt.

Quo titulo ad te accedere valeam hæſitarem,ni, quem ſemper præferam, obſequentiſſimi ſerui, mihi præcarum æquè, ac debitũ, tuæ benignitati non ingratũ ſperarem, quippe ſecundum eſſe, non ſecundum dici. .

Secundus hic titulus à mea horret obſeruantia. Non ita à mea philoſophia, in qua nec tibi placuit. Sed obſeruo,meam non innotuiſſe intentionem. Secundũ dici meam philoſophiam inſcripſi, non eo animo, vt talem credi vellem,quæ à doctiſſimis Peripateticis, ſeu Antiperipateticis

vul-

vulgatur qualem tu egregie realibus innixam aſſeris fundamentis ſaltem pro rationabilium opinionum ſuſtentatione. De hoc non diſputo. Mea eſt, quæ ſecundum dici philoſophia viſa eſt nuncupanda. Non enim in ea aliquid ego aſſerere ſecundum eſsēdi veritatem auſus ſum, ſed ſecundum id, quod dici poſſe exiſtimaui; neutram contradicentium opinionem veram, aut falſam dijudicare valens, vtrique reuerentiam exhibui, nulli palmam. Dixi, vel ſcripſi nil affirmando, vel negando, vt Doctos excitarem ad veritatis indagationem, quà mihi ad illam ſummopere concupitam illuceſceret iter.

Atomiſtarum acies Stagiritæ vexillis tibi adſcribenda videtur ab ipſo ſummo Duce Ariſtotele

in

in ſuam militiam traducta, atque ſubſcripta. Mihi inter ipſas bellum, vel certe non pax conſiſtere videtur. Suas illi atomos proponunt, nedum quantitatiuas, ſed & phyſicam eſſentiam componentes, quæ ſine illis conſiſtere nequeat, vt oſtendiſſe credidi in meę ſecundum dici philoſophiæ parte ſecunda. Non ſunt hę atomi, nec materia, nec forma, vt bene dicis ſapientiſſime Philoſophe. Diſſidebunt ergo cum Peripateticis Atomiſtæ, & ego eos Antiperipateticos nuncupabo.

Influxum materiæ in formas Peripateticis ignotum cenſeo, quia qui mihi illum oſtendat nō inuenio, omni adhibita diligentia, perſcrutatiſque turgidorum voluminum latebris, inter quas abſcondita deliteſcit inter eductionem, & creationem Ariſtotelicam

telicam differentia, vt dixi in prima parte. Approbo argumentum Peripatus ſolidiſſimum, ex eo deductum, quod non detur proceſſus in infinitum.

Idem ſuum faciunt Atomiſtæ ponentes partes ingenerabiles, atque incorruptibiles, & ſic facili negotio ſe à proceſſu in infinitum extricant.

Hi pariter rarefactionis naturam faciIlimè explicant, aduertendo illam procedere à fluxu atomorum corporis continentis poros ſubintrantium, hancque à liquefactione ſecundum magis, & minus tantummodò diſcriminant.

Illorum experientiam de vaſe hederæ in medium, tanquam ab eis propoſitum, deduxi, ſed non admiſi; immò, & à me falſa reperta eſt. Nec cum ipſis volui acciden-

dentia negare. Per ipſos lumen corpus eſt; Cur verò diù non permaneat, nec ab ipſis, nec ab Ariſtotelicis, quantumuis inſudauerint, mihi videtur ratio propria excogitata. Corpora, quamuis ex materia, & forma non cōpacta, Angelis imperfectiora aſſerunt, quia iſti ſpirituales, illa materialia.

Ariſtotelicis concedetur differentia inter formas ſubſtantiales, & accidentales, quando in quo conſiſtat dependentia formarum à materia explanauerint.

Ex actibus vitalibus brutorũ eorum principium arguitur. Sed hoc, cur erit potius forma, quam Atomi?

Et quid ſint, & quomodo fiant, ſecundum Atomiſtas, actus vitales, adiungam breuiter.

Ab obiecto colorato radios

lucis dimanare, aiunt, ab ipſoq; obiecto reflexos illius imaginem induere magis, vel minus perfe-ctam, iuxta maiorem, vel mino-rem corporis reflectentis, & in-termedij diſpoſitionem, quod experientia conſtare docent: Nã obtenebrato aliquo cubiculo, ita vt lux per exiguum feneſtrę fora-men tantummodo ingrediatur, per illud radij rerum extra poſi-tarum cum luce ingruunt, & ea-rundem imaginem in Cubiculi pariete delineatam exponunt, vel ſuper cartam (ſi foramini ap-ponatur) quatuor palmis diſtã-tem. Hi radij viſuales ab obie-cto dimanantes non perſpiciun-tur propter eximiam illorum di-ſperſionem, reſtricti verò appa-rent; Et hac de cauſa per Tele-ſcopium diſtantiſſima obiecta vi-demus: Fiunt hi radij per diuer-

ſam

ſam lucis modificationem, quæ colorati corporis,per quod tranſit,colorem aſſumit, vt contingit, cum per coloratum perſpicillum aliquid conſpicimus, quod illius coloris nobis apparet. Luxq; taliter modificata, ſiue radij, defertur ad oculũ vſque ad regionem, in qua obiectorum imagines pinguntur. Et tandem ex complexu imaginis, & potentiæ (ſecundum ipſos) reſultat viſio, quæ nihil aliud eſt, quàm complexus ille. Cæterorum ſenſuum exteriorum ſenſationes per intimam obiecti præſentiam, & eorum complexum fieri ſtatuunt.

Subiungunt in Cerebro formari quoſdam ſpiritus vitales, phantaſticos, aptos ad recipiendas, & retinendas obiectorum imagines, qui per neruum deuecti à ſenſibus externis præfatas

ima-

imagines colligunt, & ad ſenſum cōmunem deferunt. Et hic ſtatim ſuam elicit ſenſationem, quã præfatis ſpiritibus imprimit. Ab hoc ſenſu cōmuni mouetur Imaginatiua, & hæc æſtimatiuam excitat, omneſque hæ potentię ſuas in illis ſpiritibus imprimunt ſenſationes, qui ſic affecti ad cerebrum vti propriam ſedem remeant. Varijs ſubinde agitati, ſeu commoti ingruentibus cauſis ad Imaginatiuam, vel Æſtimatiuã, ſeu Phantaſiam receptas retinẽtes imagines reuolant, & ex eorum coniunctione cum illis potentijs, nouæ exiliunt ſenſationes, poſt quas iterum ſequitur ipſorum ſpirituum ad cerebrum regreſſus. Hos ſpiritus cum imaginibus pręfatis in homine ad intellectum tranſmitti aiunt, & per coniunctionem cum illis ab eo-

dem

dem intellectionem fieri; & rerũ conuenientiam, vel diſconueniẽtiam propenſam voluntati repræſentari. Pauca, & confuſè congeſta ſuper Atomiſtarum ſenſu de actibus vitalibus, prout mihi eorum mens eſſe viſa eſt, ne dedigneris (mi ſemper ſpectande, ac recolende Pater) Audacter ea ad te remitto. Mea magis prodeat tenuitas opto, vt liberius à te, ac vberius ſubleuetur ſapientiſſimis monitis. Immortales tibi refero grates, &, quam tibi ſummè opto, comprecor fælicitatum omnium nunquam diſſoluendam congeriem. Vale.

A. R. P. T.

Humilimus, & Addictiſſ. Seruus

Per-

Perilluſtris, & Reu. Ad. Domine, & Patrone Obſeruandiſſime.

TRes illas Poſitiones, quæ dicuntur depromptæ ex Philoſophia ſecundum dici libentiſſimè legi, quia, & Nomenclatorem, qui hoc inuenit vocabulum, & παρῳδίαν illam

Præſulis exemplo totus componitur ordo, quæ in Epiſtola nuncupatoria legitur, conformauit, & ſi non nominetur, agnoſco, & veneror. Interìm, quia Perilluſtris Dominus Seraphinus, cuius ingenij in paucis folijs viuacitas, & ſubtilitas emicat, Iudicia aliorum auſcultare deſiderat, illius tribus Theſibus has tres oppono: ſit ergò

Prima. *Nunquam Ariſtoteles, nunquam Peripatetici rationes certas euidentes, & conuincentes promi-*

miſerunt. Non ergò debent incriminari, quod vtantur rationibus, quæ nèc certę, nec euidentes, aut conuincentes, ſed merè probabiles ſint. Immò proteſtatur Ariſtoteles in Philoſophicis, fruſtrà quæri Demonſtrationes. Vndè Sanctus Antoninus *Regul.* 4. ad Ariſtotelis mentem aſſeuerat; *Diſciplinam eſſe in vnaquaque re certitudinem quærere iuxtà exigentiam materiæ, certitudinemque moralem non conſurgere ex euidentia Demonſtrationis, ſed ex probabilibus coniecturis groſſis, & figuralibus*; & inferiùs. *Ex his igitur ſequitur, quod in humanis agibilibus, quæ tantam habent varietatem, teſte Ariſtotele, & experientia, ſufficit talis certitudo, quæ non ſemper ſcrupulos omnes abÿciat, ſed ſufficit, vt contemnat, ſiue ſuperet eos.* Conſonat ſuo Magiſtro Platoni, qui

in

in Timæo ſe bene exploratam hà-
bere humani ingenij tenuitatem;
Sic enim ſcribit. *Cum ergò (ò Socra-
tes) multa de Dijs, Mundique gene-
ratione à multis dicta ſint, ne mire-
ris obſecro, ſi rationes de his proba-
tiſſimas, exactiſſimas afferre non poſ-
ſim, ſatis enim factum putare debe-
tis, ſi non minus probabiles, quàm
quiuis alius, rationes attulerim.
Æquum eſt enim meminiſſe, & me,
qui dixeram, & Vos, qui iudicabi-
tis, Homines eſſe, & ſi probabilia di-
centur nihil ampliùs requiratis.* Er-
gò ſi nullus Peripateticus, aut
etiam Anteperipateticus euiden-
tias, ſeù Demonſtrationes nun-
dinatur, nihil noui in Prima, &
ſecunda Theſi Dominus Seraphi-
nus aſſerit, illaſque contrà nullũ
veterem, aut Iuniorem ſcribit.
Cæterum, vt cùm Domino Se-
raphino aſſero, numquam demõ-
C ſtra-

ſtratum ab Ariſtotele, aut eius diſcipulis fuiſſe, *dari materiam primam*; Sic confidenter dico, nec à D. Seraphino, nec àb vllo alio fuiſſe demonſtratum, *non dari.*

Secunda. *Verus Materiæ Primæ Ariſtoteles, & Atomorum conceptus latet D. Seraphinum.* Et prima pars concluſionis oſtenditur, quia nunquam, aut prò illa, aut contrà illam directe argumenretur, alius enim, ſi ſciret in quò eſſentia Materię primę conſiſteret, pro illa, aut contra illam directa argumenta formaret; Nullibi enim demonſtrare conatur dari, aut non dari puram potentiam ſubſtantialem. Et vt ſecundam ſuadeam; aſſero eſſe meram adlucinationem putare, Atomorum Aſſertores eſſe Antiperipateticos, & materiæ Primæ contradicere Propugnatoribus; quoniam illo-

illorum iudicio atomi conſtant materia, & forma, & ipſæ etiam atomi ab Ariſtotele, Sancto Thomà, & Scoto admittuntur: Scita enim eſt quæſtio, an dentur termini magnitudinis, & paruitatis: & atomus eſt ſubſtantiola, quæ in illa ſpecie minor naturaliter eſſe non poteſt. Nec aduerſus has atomos militant argumenta, quæ Ariſtoteles contra Zenonē conformauit, nam Philoſophus ex indiuiſibilibus Mathematicis Continuum non cōponi demonſtrat, & atomi ſunt corpuſcula habentia longitudinem, latitudinem, & profunditatem, & tamē dicuntur ἄτομοι, quod illæſa forma ſubſtantiali, quam habent, non poſſint naturaliter diuidi, poſſunt tamen realiter per miraculum, & mathematicè per intellectum. Fortè aliquis Tertiā

Theſim admitteret, quoniam omnia creata ſunt finita, & omni re finita, alia dari poteſt maior, & melior, & id ſanè vniuerſim aſſerunt Ariſtotelei; Ergò ſi definitiones ad cenſum rerum finitarũ pertinent, nulla dabitur, qua non poſſit alia dari, & perfectior, & melior. Ego autem huic Doctrinæ, niſi limitetur, & reſtringatur, non aſſentior, ipſa enim ſolummodò verificatur in genere, fallit tamen, vbi ad infimam ſpeciẽ peruenitur. Tametſi enim hoc angulo acuto dari poſſit acutior, & hoc obtuſo obtuſior, repugnat, vt hoc recto formetur, aut intelligatur alius rectior; & his poſitis addi poterit concluſio

Tertia. *Omni deſcriptione poteſt dari alia melior, at Definitione* (nec enim, quæ eſſentialis non ſit, nec quæ leges Dialecticas violat, dicitur

citur Definitio) *non poteſt dari alia melior.* Suadetur prima pars, quoniam ſunt multa, & varia accidentia ſubiecti, & librum ſcriberet, qui omnia exprimeret. Ergò nemo paucis verbis poterit illud dilucidare, quin alius æquè paucis poſſit illud dilucidare meliùs. Deſcriptioni Antefactorum Definitiones accenſebo, vt poſteriorem concluſionis partem perſuadeam, ſic inquam in hoc ſyllogiſmo

Omnis homo currit,
Aliquis Equus eſt homo,
Ergo aliquis Equus currit.

Nihil reperit dignum reprehenſione Dialecticus: ipſe enim nec aſſerit, nec curat, nec quærit, an præmiſſæ ſint veræ, ſed ait non poſſe eas veras eſſe, quin ſimul concluſio ſit vera, ſic ſimiliter in hac definità Propoſitione.

Homo eſt animal rationale,

Non affirmat Dialecticus *animal* eſſe genus, & *rationale* differentiam, ſcit enim vtrumq; à P. Valeriano Magno Capuccino,& ab alijs viris doctis negari, at aſſerit ex ſuppoſitione, quod *animal* genus ſit,& *rationale* differentia, eſſe excellentiſſimam hominis definitionem, quà melior nulla poſsit formari. Nihilominus, vt oſtendat ingenij ſibi diuinitus conceſſi vires,dignabitur Dominus Seraphinus conſiderare definitiones ſubſequentes, illaſq; corrigere, aut obliterare in Grammatica Speculatiuà. & PRIMO.

I. *Nomen eſt vox ſignificatiua rem ipſam, ſed non cum tempore*; & hanc eſſe bonam definitionem probo, quia pronomen, & articulus nō rem ipſam, ſed id quod prò re ſubſtituitur ſignificant;

De

De verbo iam dicam, & cæteræ partes, quas Hebræi, Caldæi, Arabes &c. vnico vocabulo cõpræhendunt, non rem, ſed rei modum important.

II. *Verbum eſt vox ſignificans agere, ſed cum tempore:* Aliud eſſe *ſignificare tempus*, & aliud *ſignificare cum tempore* ſemper ſuppono. *SECVNDO* in Arithmeticà.

III. *Numerus par eſt, qui poteſt diuidi in partes æquales, & Impar, qui non poteſt. TERTIO* in Geometrià.

IV. *Circulus inter ſuperficies, & Globus inter ſolida, eſt figura, in quà omnes lineæ à centro ad circumferentiam ſunt æquales. &c. QVARTO* in Logicà.

V. *Propoſitio vera eſt, quæ enunciat rem ſicuti eſt: Falſa, quæ aliter.*

VI. *Definitio* (eſſentialem in-

telligē) *eſt prædicatum ſubiecti genus, & differentiam adhibens.*

VII. *Argumentatio eſt Antecedēti conſequentiam infallibiliter inferens. Infallibiliter dixerim*, & non *neceſſariò:* Dialecticæ enim argumentandi formæ non neceſſariæ, ſed veræ infallibiles ſunt. *QVINTO* in Phyſicà.

VIII. *Materia prima eſt pura potentia*, nec eſt neceſſarium addere *ſubſtantialis*, nam corpus Phyſicum eſt pura Potentia accidentalis, & tamen abſolutè loquendo non eſt pura potentia, componitur enim potentia, & actu; Et hic notetur benè, definitioné eſſentiam exponere, & ab exiſtentià præſcindere, qui enim præcedentem definitionem pronunciat, non dicit dari materiam primam, ſicut qui diceret: *Triangulus*

gulus eſt figura habens tres lineas, non aſſerit vllum dari triangulū, vndè ſicut hęc Definitio eſſet bona, etſi nullus eſſet in Mundo Triangulus, ſic ſimiliter illa eſſet bona, etſi materia prima in rerum naturà non eſſet.

IX. *Forma eſt, quæ dat talem eſſentiam rei*, & hinc Ariſtoteles ait, *Actus eſt, qui diſtinguit*, & hæc etiam definitio eſſet bona, etſi in rerum naturà nulla prorſus forma reperiretur.

Hæc volui volanti ſtylo ſcribere, vt morem geram Domino Seraphino, cuius ingenium veneror, ab ipſo enim, ſi aſsidua diligentia accedat, Philoſophia, quę ſerpit in Scholis, poterit promoueri. Interim V. Dominatio mihi multa præcipiat in quibus poſsim obedire & ſeruire. Da-

bam Viglebani die 9. Ianuarij 1675.

DominationisVeſtrçPerilluſtris, & Admodum Reuerendæ

Obligatiſs.& Obſequentiſs.Seruus, qui ſuas manus oſculatur

D.Dominicus Platus.

Per-

Perilluſtris, & Admodum Reuerendiſſimi Domine Obſeruandiſſime.

TRibus à me propoſitis Theſibus totidem à tua mihi ſemper commendanda ſapientia oppoſitas humaniſſima æquè, ac elegantiſſima expoſuit epiſtola, qua intellectui meo lucem præbere, & veritatis cupidæ menti ſtimulos addere dignatus es; Quas debeam grates ignorare profectò non valeo, at reddere nequeo. Ingenue Philoſophe, pro gratiarum actione votum recipe, animum reſpice. Vtinam ſic Peripathetici, quam aſſequi non poſſe agnoſcunt veritatem, concupitam, exquiſitamque faterentur, at non inuentam; profectò fortaſsè nō ita mordicus Ariſtotelicas opiniones tuerentur, & hominum ingenia Ariſtotelis

menti, verbiſque alligata perpetuò immorari compellerent, & infandum contra eius ſcripta effari compellarent.

Tuæ primæ animaduerſioni meæ congruunt ſcripta. Vnanimi aſſenſu fatemur enim, opiniones Peripateticorum demonſtrationibus deſtitutas. Hic meus eſt ſenſus; Idemque de Antiperipateticis prædico. Suis vtroſq; vellem contentos limitibus in aliorum poſſeſſionem pedes non admouere. Afferant ſi libet ſic, vel ſic ratiocinari licere. Se veritatis dominium aſſecutos ne decantent. Perpendant, quæ à te doctiſſimè proponuntur, permodeſta tum Ariſtotelis, tùm Platonis eloquia, quibus conſentire quilibet debet. Hic meus fuit animus, quem alijs communem credidi, nil ideo noui promere præſu-

mens,

mens, illum publicè proferens. Audieram enim tantam homini fiduciam minime habendam, vt tamfacile veritatis poſſet præſumere à ſe conſecutam adeptionem. Id clare oſtendunt infallibilia Eccleſ. cap. 8. oracula. *Et intellexi, quòd omnium operum Dei nullam poſſit homo inuenire rationem eorum, quæ fiunt ſub Sole, Et quanto plus laborauerit ad quærendum, tantò minus inueniet, etiam ſi dixerit ſapiens ſe noſcere, non poterit reperire.* Materiam primam non nego, ſed nec aſſerere audeo; at liberè fateor, intellectus mei imbecillitatem Ariſtotelicis rationibus non firmari.

Iuxta 2. replico: Huius materię primæ conceptum adæquatum hucuſque efformare non valui; Idemq; fateor de atomis, quas Contradictorçs materiæ primæ,

enti-

entitaticulas quaſdam ingenerabiles, & incorruptibiles ingenerabilitate, & incorruptibilitate Ariſtotelica, & ſimplices ſimplicitate materiam, & formam excludente deſignant. Propterea; atomi iſtæ ſecundum Antiperipateticorum aſſerta valdè diſtant ab ijs, quas ex materia, & forma conſtare dicebatur.

Ad tertiam venio: Mihi conſentitur, omni deſcriptione meliorem dari poſſe. Cur ergo negabitur id etiam de eſſentiali definitione verificari? Nonne, tam deſcriptio, quam definitio abſtractiua eſt, ſicq; per ſpecies alienas? Vtraq; igitur intuitiuà imperfectior erit. Immo etiam inter abſtractiuas cognitiones vna alterà perfectior eſt, poſſunt enim de eadem re perfectiores, & perfectiores haberi ſpecies; Eandemq;

rem

rem diuerſimode cognoſcibilem eſſe, clariſſimum eſt. Dialecticus cognoſcit, veras eſſe non poſſe præmiſſas, quin vera ſit concluſio, hoc illuſtratus principio. Quę ſunt eadem vni tertio, ſunt eadē inter ſe. Hocque principium nō cognoſcit eſſe verum vniuerſaliter, infallibiliter, niſi admittat diſtinctionem virtualem ob myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, quam certè diſtinctionem modò perfectiſſimè non agnoſcit, ſed valde imperfectiori modo, quam ſi illam intuitiuè intelligeret. Poteſt igitur hanc eandem cognitionem valde perfectiorem obtinere. Quare hominis definitionem hāc *Homo eſt animal rationale* perfectiſſimam dicere haud cogi videor, immo perfectiorem eſſe poſſibilem, credendum putarem. Eſt enim hęc abſtractiua, quā

valde

valde perfectior eſſet intuitiua. Examinemus ſubſequentes, tum Grammaticas,tum Speculatiuas.

Prima,& ſecunda in Grammatica, tertia in Arithmetica,quarta in Geometria ſunt deſcriptiuę, inter quas perfectiores ſemper adinueniri poſſe fateris. Et addo, certum eſſe in nomine prius eſſe Poſſe ſignificare, quàm actualiter ſignificare; erit igitur actualis ſignificatio paſsio nominis.Idē q; de Verbo dicerem.Prę terea verbum: *Sum*: nonne verbum eſt? At non ſignificat agere, quia æquè ſignificat Agentia, ac non Agentia. Obliqua rem ſine tempore ſignificant, at ideo nomen logicum minime ſunt. Numerus par prius dicendus eſt ex partibus æqualibus conſtrui, quàm in illas diuidi poſsit, ergo per paſſionem deſcriptiuè exprimitur,

quod

quod,& de allata circuli,& globi circumſcriptione dicere liceat.

Quintam in Logica non admitterem. Siquidem ens impoſsibile non eſt,& de eo dantur propoſitiones veræ,& falſæ. Si ergo ens impoſsibile non eſt, quommodo propoſitiones veræ de illo enunciabuntur? quomodo, ſeu ſicuti eſt, ſi nullo modo eſt?

Sextę Deſcriptionis potius, quàm definitionis conditionem ineſſe, perſpicuum mihi videtur.

Septimæ Reſponſio ex ſuperius dictis liquet: Dialecticus enim Vim infallibilitatis conſequentiæ ex præmiſſarum veritate ab intuitiua cognitione principij, cui innititur *quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*, clarius conſequeretur,& tunc perfectiorem argumentationis explicationem exprimere poſſet.

Dua-

Duabus poſtremis in Phyſica exquiſitam perfectionem in eſſe non concedam. Et quidem cum puræ potentiæ conceptus me lateat; quommodo per hanc perfectiſsimè materiam primam definitam agnoſcam, vt clarius, vel perfectius mihi exponi non cupiam, & fieri poſſe credam? Forma verò, ſi datur, quōmodo hæc dici poteſt, quæ dat talem eſſentiam rei? Etiam materia prima conſtituit rem: Non eſt igitur incogitabilis perfectior formæ definitio, ſiue malis deſcriptio, quæ dicitur, Formam eſſe, quæ dat talem eſſentiam rei. Sapientiſsimũ munus, quod mihi tua exhibuit ſemper excollenda benignitas hac mea tenuitate compenſandum cenſui. Tuo libentèr ſubijcio prudentiſsimo examini, quæ cum interminabili gratiarum

actio-

actione remittenda putaui. Sum-
mæ fœlicitatis omen excipe, quã
tibi à ſupremo Numine toto cor-
de deprecor; me inter tuos obſe-
quentiores ſeruos conſerua, tu-
iſque concupitis pręceptis ſola-
re, & decora, ac Sanctiſsimis Sa-
crificijs Deo commenda. Vale.

Ad Doctiſſimos Viros generalis Reſponſio omiſſa de Atomis diſceptatione iuxta Superiorum decretum.

PRæter animaduerſiones Doctiſsimorum Virorum circa meas Theſes philoſophiæ ſecundum dici, quibus pro ingenij mei tenuitate aliquid referre conatus ſum, tamquam grati animi argumentum, & ad perfectioris cognitionis, quam ſumme exopto, adiumentum; Atomorum Aſſertores ſuorum corpuſculorũ agmen inſtruxere. Cum hiſce mihi colluctandum erat, nec certamen recuſaſſem: Tenuiſsima ſi quidem tela confringere, etiam exiguo robori haud difficile putãdum. Atomiſtarum opinionem fluenti materiæ ſua conſignantẽ fundamenta, excelſum negaui

poſſe

poſſe conſtruere ædificium; Clarè expreſsi in prædicta mea qualicumque philoſophia, eorum aſſertiones nullo rationum valido munimine ſeptas nequaquam ſubſiſtere poſſe. Plura ſubderem, & libentiſsime quidem, quoniam tam exilia corpora quocumq; libeat reuerberare facillimum eſt: quinimmo ipſamet ſe ipſis (vt ita loquar de eo quod non eſt) ſe ipſa dilaniant, vt an ſint, quid ſint, vbi ſint cognoſcere nequeas. De his iucunda fortaſse fuiſſet diſceptatio, ſed valde ſuperuacanea, & propterea etiam nec iucunda. Qualiſcumq; fuiſſet, nuſquam erit: quoniam Sapientiæ oraculo Superiorum prudenti decreto iocus iſte interdictus eſt. Eius imperia nedum exequi paratus ſum, ſed venerabundus ſēper prædicabo. Relictis igitur

ato-

atomis, ſolidiora quęramus. Veris ſcientijs inhiemus, ad quarum conſecutionem ſapientiſsimorum Rectorum ſplendentiſsima fax obſequenti noſtro intellectui ſecuram, rectamque oſtendet ſemitam. Siſtite, ſi poteſtis Atomi; Ego in obſequio Sũmorum Imperantium in æternum ſtabo.

Hoſce meæ deuotionis erga Eccleſiaſticas determinationes libentiſſime exprimo obſequentiſſimos, ingenuiſſimoſq; ſenſus, pareſque pro doctiſſimo, ac liberaliſsimo munere, quo ſingulari munificentia à quibuſdam Dominis meis ditatus ſum, gratias refero innumeras, ipſiſque atomis propterea numeroſiores, quamuis de ipſis atomis verba non faciam. Vnde colligant Domini mei in exiguo mundo, qualis homo eſt, obſeruantiæ

in-

innumeras eſſe partes, & in me plus, quàm in magno Orbe ſint atomi, duratura eſſe ſemina perpetuæ erga eos dilectionis, ac reuerentiæ.

FINIS.

V. D. Ioſeph Cribellus Cleric. Regul. S. Pauli in Metropol. Bononienſi Pœnitentiarius pro Eminentiſs. ac Reuerendiſs. D. D. Hieronymo Cardinali Boncompagno Archiep. & Principe.

Imprimatur

Fr. Andreas Rouetta de Brixia Ord. Præd. Sacræ Theol. Mag. ac Vicarius Generalis S. Officij.

Digitized by Google